ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

Vir hic longa mihi consuetudine & quotidiana familiaritate notus, petit à Celsissimo Principe, ut vicariatum, quem filio emit, in hunc ipsum transcribere velit. Captabis facile occasiones commodas, quibus hoc impetrari possit. Praestiti beneficij gratiam à me ex parte referes.

Scripsi saepius septem mihi esse domi planetas. Eorum unus, licet foeminini generis, iam verè Uranias esse incipit, et de coelo suo decedere vult. Utinam et plures abitum pararent. Quod volo dicere hoc est; est domi meae sponsa, filia natu maxima Adriana, quae iuveni cuidam Carolo Wolphio nubet. Quamobrem rogo, ut si per res tuas & publicas liceat, interesse velis festo nuptiali, ad quod te sponsorum nomine serio et amicè invito. Aderunt Hoofdius et Vicofortius, nota Tibi nomina. Quod Muydae agendum fuit, peragemus domi nostrae. Accedet nuptijs a tua praesentia splendor. philosophabimur, iocabimur, epulabimur poetarum more, partiemur personas, alter Cupidinem, alter Iocum, alter Iuventam aget. Aberunt Saturni, Sophronisci, et Baruchphali. repetemus conviviales sermones Athenaei, Plutarchi & aliorum. Nec deerunt, qui cogitabunt apud se,

Quod si non animo fixum immotumque &c.

Vale Vir Praestantissime et veni, ut Hoofdium à Vicoforteo dirimas medius.

Amstelod. XI Nov. CIƆIƆCXLII.

N. Tuae observantissimus
Caspar Barlaeus.

Filios poetas et oratores saluta.

Celebrabuntur nuptiae XXII Novemb. die Iovis.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 156
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3183

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 156
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3183

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 156
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3183

Nobilissimo, clarissimoq.
viro D. Constantino Hugenio
Eq: Zulechemj Domino,
Celsissimo Principi à secretis
et consiliis.

p amicum

Hagam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 156
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3183